

soleat descendere in fundum  $\nabla$ . subnigra vel subfulsa, quæ  $\nabla$ . nihil est aliud nisi vena ferrea & metallica, in aquæ salinæ transitu corrosa. Nam dum aqua salina superingreditur vesam ferri, quando potest, eandem solvit: hinc fit, ut solutâ venâ silledo aquæ immineatur, & ita  $\Theta$ ia ista corrodentia se jungant cum vena ferri, ac fiat pulv. exindè subnigricans vel subfulcus, qui in fundo vitri subidet. Ex hoc videmus, quòd frustranea sit transportatio acidularum, scil. quando ex loco natali transmittuntur in alium pro usu. Nam dum transmittuntur, sensim decidit pulvis seu spiritus  $\Theta$ ini se uniunt cum vena metallica, & ita decidunt ad fundum, & aqua superstes insipida persistit, quæ privata est omni virtute. Ergò acidulæ sunt usurpanda in loco, ubi oriuntur: Nam si transmittuntur, sunt nullius aut pauci usus.

2. Aqua medica naturalis sunt THERMÆ, quæ sunt aqua calidæ. Harum Thermarum origo adscribitur sæpius calori vel  $\Delta$ . cuidam subterraneo, à quo incallescunt: Virtus medica à salibus & partibus metallicis iis in visceribus terræ permiscetur. Cæterum cum  $\Delta$ . SUBTERRANEUS sit valdè dubius, modò non omninò falsus, rectius sentiunt ii, qui statuunt, quòd Thermarum calor oriatur per modum effervescentiæ, talis quæ fit ex effusione aquæ calci vivæ: vel sicui fit, quando affunditur aqua salina cuidam metallo, imprimis  $\Theta$ ri, exindè enim fit effervescencia, ita simili ratione in visceribus terræ fiunt effervescentiæ aquarum beneficio talis effusionis: si scilicet calcinatæ minera metallicæ à calore, qui est copiosus in terrâ, & oritur ex effervescencia  $\Theta$ ium mutua. Hæc ergò, si attingatur ab aquâ  $\Theta$ nâ præterfluente, fit ut tali  $\Theta$ e imprægnata occurrendo tali minere calcinatæ excitet talem effervescenciam, sicut fit ex effusione aquæ calci vivæ: Et quidem non semper necessariam est in specie, ut occurrat  $\nabla$ . talis minere calcinatæ, sufficit si fit talis minera, cui occurrens  $\Theta$ . in  $\nabla$ . effervescenciam excitatur, ex quâ fit calor & effervescencia Thermarum. Experientiam subministrat modò citatus ROCHAS, qui in montibus Alpibus Helvetiæ invenit fontem calidum seu Thermas, fecitque progressum fodiendo ad ejus originem, in quibus invenit, quòd in principio sit aqua subsalsa moderatissimè acida, quæ sine calore sit frigida: Cæterum, ubi in progressu reperta fuit vena metallica valdè  $\Delta$ ea, factum, ut  $\nabla$ . occurrente venæ metallicæ  $\Delta$ ea fixatæ, effervescencia & ebullitio fuerit excitata: luculento testimonio, quòd non fiant Thermæ per  $\Delta$ . subterraneum, sed ex aqua salina occurrente venæ metallicæ in specie  $\Delta$ ea. VIRTUTES quas obtinent Thermæ, cum tantum usurpentur externè in balneando, internè verò rarè vel nunquam, omnes habent à partibus minere corrosis & absorptis ex aqua  $\Theta$ na, imprimis partes  $\Theta$ inæ  $\nabla$ . obtinent virtutes, quas habent Thermæ, ut externè fotu refocillent & restituant tonum partium nimis laxatum, quòd mirificè convenient in affectibus nervorum, paralyti, Hemiplegia, tremore, item dolariis chronicis & periodicis, uti etiam affectibus cutaneis, scabie contumaci & maligna, impetiginibus & lentiginibus, serpigines & similibus aliis cutaneis vitiis; Podagricis conveniens est Thermarum usus, uti etiam aliis qui laborant articulorum quo-

rumcunque affectibus. Intrinsicus usus Thermarum est periculosus, quoniam ut plurimum Thermæ solent secum vehere certum sabulum, aut certas partes terrestres corrosas, quæ transfluxu Thermarum tandem coguntur in tophaceam materiam, quæ copiosè reperitur in alveis, per quas fluunt Thermæ, periculum ergò est, ne similis materia tophacea coaguletur & uniatur in corpore, & ita infarctum vasorum, meatuum ac viscerum inducat: Hoc ne fiat, omninò prohibetur usus Thermarum internus. Ulteriùs non sunt usurpanda Thermæ, nisi præmissis universalibus, & optimum est, ut si usurpandæ in morbis chronicis, priùs usurpentur acidula, & post acidulas ingreduntur Thermas, aut si non utantur acidulis, præmittenda sunt universalia, & primas vias expurgantia. In sterilitate mulierum usus Thermarum non est inconveniens, imprimis si sint nimis humidæ, & uterus earum instar spongiæ semper sit refectus sordibus, aquosumque nimis habeant semen, & minùs spirituosum, & sic uterus minùs dispositus sit pro conceptione: Dum ergò isti humores eliciuntur per Thermas & liquor spermaticus fit spirituosior, optimè sic succurritur sterilitati. Dixi quòd præmittenda sint universalia ante usum Thermarum: quòd nisi fiat, oriuntur febres continuæ contumacissimæ, aut etiam intermittentes ex inepto Thermarum usu: PLURA qui vult de Thermis, vid. Tract. D. LANGII de Thermis Carolinis, qui est elegans & valdè accuratus. Hæc fuerunt aquæ ex terrâ profluentes: Sequuntur nunc aqua ex aère, inter quas i. est AQUA PLUVIALIS, quæ aqua pluvialis pro varietate temporum anni multum variat: Nam ea quæ decidit mente Martio, & tempore vernali, imprægnata est copiosis virtutibus seminalibus plantarum, & aliarum rerum terrestrium: Præterea quoque acuata est copiosè  $\Theta$ . vol. exhalante & prodeunte ex rebus  $\nabla$ stribus, & imprimis ex vegetabilibus propter vim progenerativam, ratione hujus  $\Theta$ . & virtutis seminalis fit, ut aqua pluvialis non putrescat, modò adserveatur in loco frigido, benè verò potest adigi ad fermentationem propter principia activa & fermentativa, propterea quando fermentatur & destillatur, dat menstruum elegans pro extrahendis virtutibus vegetabilium: Sunt propterea qui ex hac aquâ pluviali martiali & vernali volunt præparare menstruum universale, inter quos imprimis est BURRHUS, qui non solum menstruum universale, sed etiam lapidem philosophicum voluit præparare, ex eo quod sit imprægnata influxu astrali & Ætæa spiritu mundi universali: Cæterum successus non respondit, sed accepit loco menstrui universalis menstruum  $\Theta$ sum, quòd tamen solvere potuit  $\Theta$ em sive aurum. Ratione istius virtutis solutivæ, & partium salinarum est absterisivum, & habet saponariam virtutem; Unde in morbis externis & cutaneis à nonnullis solet adhiberi & commendari. Alii loco menstrui universalis volunt præparare medicinam universalem ex  $\nabla$ . pluviali, inter quos est D. Diênheim / qui scripsit tract. de  $\nabla$ . pluv. uti videri de tali medicina potest in ROSENCRUZERI Astron. inferiorum, pag. 405. Ad aquam pluvialem pertinet

AQUA TONITRUALIS, quæ nunquam dicunt, quòd redeat ad temperiem naturalem seu frigi-